

1999-05-13 – SS Ioannes Paulus II – Congregatio ‘Verbi Sponsa’**CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE
ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE****VERBI SPONSA**
*Instructio de vita contemplativa
deque monialium clausura***INTRODUCTIO**

1. Verbi Sponsa, Ecclesia, suam uno cum Deo coniunctionem perficit insigniter in iis qui vitae contemplativae sese penitus dicant. Hac de causa Adhortatio Apostolica post-synodalis *Vita consecrata* clausurae monialium vocationem missionemque veluti signum « unice coniunctionis Ecclesiae-Sponsae cum Domino admodum dilecto » (1) exhibet, dum singularem simul gratiam magnique pretii donum in sanctitatis Ecclesiae mysterio extollit.

Claustales sorores, concorditer amanterque Patris verbum suscipientes illud: « Filius meus, dilectus meus hic est, in quo ego mihi complacui » (*Mt* 3, 17), usque « cum ipso in monte sancto » manent (*2 Pe* 1, 17-18) atque Iesum Christum contuentes divinae praesentiae nubibus obvolutae, totae Domino adhaerent. (2)

Peculiariter in Maria (3) Virgine, sponsa ac matre, Ecclesiae effigie, (4) sese agnoscunt atque beatitudinis credentis (cfr *Lc* 1, 45; 11, 28) participes, ipsius illud « Sic » et adorantem in vitae Verbum dilectionem usque producent, dum una cum eo memoria sponsalis cordis (cfr *Lc* 2, 19.51) Ecclesiae fiunt. (5)

Aestimatio qua moniales claustrales afficere consuevit christiana communitas pari ratione crevit simul cum Ecclesiae naturae contemplativae patefactione et cuiusque vocationis ad arcanum Dei occursum in oratione. Moniales enim absconditae « cum Christo in Deo » (*Col* 3, 3) vitam perpetuo exigendo, vocationem summopere contemplativam universi populi christiani (6) adimplent ac fulgidum pariter Dei Regni fiunt signum (cfr *Rom* 14, 17), « Ecclesiae gloria et caelestium gratiarum fons ». (7)

2. Inde a Concilio Oecumenico Vaticano II, varia Magisterii documenta sensum huiusque vitae generis momentum altius tractaverunt, quae item contemplativam communitatum claustralium rationem earundemque in Ecclesiae vita peculiarem partem promoverunt, (8) idque insigniter Decretum conciliare *Perfectae caritatis* (n. 7 et n. 16) nec non Instructio *Venite seorsum*, quae praestabiliter illustravit evangelica, theologica, spiritalia et ascetica a mundo digressionis fundamenta, ut tota solaque esset Deo dicatio in contemplatione.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II saepenumero moniales est cohortatus, ut fideles manerent vitae claustrali ad proprium charisma, atque in Adhortatione Apostolica post-synodali *Vita consecrata* decrevit ut peculiare normae deinceps de certa clausurae disciplina darentur, ratione habita progressus renovationis iam peractae, quo aptius Institutum contemplativorum varietati monasteriorumque traditionibus responderet, ita ut claustrales moniales, a Spiritu Sancto recreatae ipsaeque suae indoli ac missioni fideles, in futurum aevum germano impetu novoque vigore procederent. (9)

Instructio haec, dum clausurae doctrinae fundamenta confirmat, quae Instructio *Venite seorsum* (I-V) et Adhortatio Apostolica post-synodalis *Vita consecrata* (n. 59) ministrant, normas statuit quibus clausura papalis monialium vitae contemplativae penitus addictarum temperetur.

PARS I**CLAUSURAE MONIALIUM
SIGNIFICATIO AC PONDUS**

In Filii mysterio qui dilectionis communionem vivit cum Patre

3. Claustrales contemplativae peculiariter funditusque Christo Iesu, qui in monte orat, eiusque paschali mysterio sese conformant, quod est ad resurrectionem mors. (10)

Spiritualis Ecclesiae antiqua traditio, quam Concilium Vaticanum II repetit, luculenter vitam contemplativam cum Iesu oratione « in monte » (11) nectit, vel utcumque solitario in loco haud omnibus pervio, sed iis tantum quos Is Secum vocat, seorsum (cfr *Mt* 17, 1-9; *Lc* 6, 12-13, *Mc* 6, 30-31; *2 Pe* 1, 16-18).

Filius semper cum Patre coniungitur (cfr *Io* 10, 30; 17, 11), at in eiusdem vita aliquod datur spatium, quod distinguitur peculiaribus solitudinis precationisque, congressionis communionisque temporibus, in filiationis divinae exultatione. Amantem Ille sic suae Personae Filii intentionem significat perennemque motum in Ipsum qui ab aeternitate Eum generat.

Quod vita contemplativa in deserto loco Iesu precationi sociatur, id peculiarem modum demonstrat participandi necessitudinem Christi cum Patre. Spiritus Sanctus, qui Iesum in desertum perduxit (cfr *Lc* 4, 1), compellit monialem ad Christi solitudinem participandam, qui « per Spiritum aeternum » (*Heb* 9, 14) Patri se ipsum obtulit. Solitaria cella, conclusum claustrum, sunt loca ubi monacha, Verbi incarnati sponsa, omnino in Deo cum Christo defixa vivit. Huius communionis mysterium eo dumtaxat manifestatur quod, Spiritui Sancto obnoxia Eiusque donis animata, Filium audit ipsa (cfr *Mt* 17, 5), Eius vultum contuetur (cfr *2 Cor* 3, 18), se Eius vitae conformari patitur, usque ad supremam Patri oblationem (cfr *Philp* 2, 5ss.) veluti manifestam gloriae laudem.

Clausura, revera etiam, peculiarem ideo facit viam modumque cum Domino manendi, communicandi demissionem « ipsius Christi per praecipuam paupertatem quae declaratur non rerum reiectione tantum, sed et “spatii”, congressuum, tot bonorum creatorum », (12) dum frugiferum Verbi in cruce silentium participatur. Hoc tunc intellegitur: « Recessus a mundo ad impensioem in solitudine orationis vitam agendam nihil aliud est quam modus quidam peculiaris vivendi et exprimendi paschale Christi mysterium »; (13) vera est cum Christo resuscitato congressio, iter perennis ascensionis ad Patris mansionem.

Dum Dominus venturus vigilanter exspectatur, responsio quaedam sic fit clausura ad absolutum Dei in eius creaturam amorem atque fit consummatio aeterni Ipsius desiderii eandem in mysterio consuetudinis cum Verbo suscipiendi, quod sponsale donum in Eucharistia factum est (14) atque in tabernaculo manet cardo plenae amoris communionis cum Eo, cunctam monachae vitam colligens ut Patri continenter eam offerat (cfr *Heb* 7, 25). Christi-Sponsi dono, qui in cruce totum suum obtulit corpus, monialis per « corporis » donum similiter respondet, dum cum Christo Iesu se Patri offert ipsaque in redemptionis opera sociatur. Sic a mundo recessus cunctae claustrali vitae eucharisticam vim praebet, « praeter sacrificii expiationisque speciem, etiam gratiarum Patri agendarum, in dilecti Filii gratiis participandis ». (15)

Ecclesiae in mysterio quae suam cum Christo Sponso propriam experitur coniunctionem

4. Dei historia cum humano genere historia est amoris sponsalis, qui in Vetere Testamento paratur et in temporis plenitudine celebratur.

Revelatio divina nuptialem per speciem artam indissolubilemque Dei necessitudinem cum eius populo significat (cfr *Os* 1-2; *Is* 54, 4-8; 62, 4-5; *Ier* 2, 2; *Ez* 16; *2 Cor* 11, 2; *Rom* 11, 29).

Dei Filius se Sponsum-Messiam exhibet (cfr *Mt* 9, 15; 25, 1), qui venit nuptias cum humanitate initurus, (16) in mirabili quadam amoris permutatione quae ab Incarnatione initium capit, oblativum in Passione attingit culmen itemque veluti Eucharistiae donum prorogatur.

Dominus Iesus, hominum cordibus suum amorem Patrisque inferens, promptos eosdem reddit ad penitus respondendum, Spiritus Sancti virtute, qui semper cum Sponsa implorat: « Veni! » (*Apc* 22, 17). Haec gratiae sanctitatisque perfectio redigitur in « Sponsam uxorem Agni... descendentem de caelo a Deo, habentem claritatem Dei » (*Apc* 21, 9-10). Sponsalis ratio totius Ecclesiae est propria, at vita consecrata ipsius vivida est imago, cum nitidius in unum Sponsum intentionem significet. (17)

Luculentius quidem et altius mysterium coniunctionis Ecclesiae-Sponsae cum uno Domino in sororum claustralium vocatione significatur, eo quod earum vita tota Deo dicatur, qui summopere diligitur, in caelestis Ierusalem adsidua expetitione atque eschatologicae Ecclesiae antecaptione quae in Dei possessione contemplationeque figitur, (18) dum universus christianus populus de praecipua vocatione singulorum ad Deum conveniendum commonefit, (19) ipsaque meta figuratur ad quam tota communitas ecclesialis graditur, (20) quae veluti Agni Sponsa in sempiternum vivet aevum.

Per clausuram moniales exodum de mundo efficiunt, Deum in solitudine « deserti claustralis » conventurae, quod complectitur solitudinem etiam interiorem, spiritus probationes cotidianumque vitae communis laborem (cfr *Eph* 4, 15-16), veluti sponsalem participationem solitudinis Iesu apud Gethsemani Eiusque in cruce dolorum salutarium (cfr *Gal* 6, 14).

Claustales insuper sorores, femineam suam ipsarum propter naturam, efficacius Ecclesiae, « Sponsae Immaculatae Immaculati Agni » mysterium significant, in vocationis omnino contemplativae ordine se ipsae singulariter reperientes. (21)

Monastica ideo mulierum vita peculiarem adipiscitur facultatem instituendi nuptialem cum Christo iugalitatem huiusque rei vivum signum efficiendi: nonne in Muliere, in Virgine scilicet Maria, caeleste Ecclesiae mysterium completur? (22)

Hac sub specie moniales in Ecclesia praesentiam Mariaeque operam repetunt ac producant. Fide quippe ac silentio adoranti Verbum suscipientes, Incarnationis mysterio inserviunt, atque cum Christo coniunctae, qui se Patri tradit, Redemptionis mysterio suam dant operam. Quemadmodum Maria in cenaculo suam per praesentiam orantem in corde Ecclesiam nascentem custodivit, sic amanti cordi coniunctisquae claustralium manibus Ecclesiae iter committitur.

Clausura suo ex principio ascetico

5. Clausura, asceticum summi pretii subsidium, (23) peculiarem in modum illi convenit vitae quae tota contemplationi addicitur. Signum ipsa est tutelae Dei sanctae erga eius creaturam atque pariter singularis est forma ad Deum unum pertinendi, quia totum illud absolutam Deo deditioem designat. De ratione agitur peculiari congruaque experiendi sponsalem cum Deo necessitudinem unico in amore, nulla persona nullaque re officiente, ita ut creatura, occupata defixaque in Deo, ad eius gloriae tantum laudem vivere possit (cfr *Eph* 1, 6. 10-12. 14).

Claustralis contemplativa summopere primum Domini Mandatum adimplet: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis et ex omni mente tua » (*Lc* 10, 27), illo suam vitam plene imbuens omnesque fratres sororesque in Deo amans. Ad caritatis perfectionem ipsa tendit Deum tamquam « unicum necessarium » (cfr *Lc* 10, 42) eligens, eum veluti Totum omnium rerum solummodo amans, summa in Eum dilectione, abnegationis spiritu quem Evangelium requirit (24) (cfr *Mt* 13, 45; *Lc* 9, 23), sacrificium omnium bonorum faciens, scilicet Deo soli quidquid boni « sacrum efficiens », (25) ut Ille unus in quietissimo claustris silentio habitet, suo Verbo suaque praesentia id replens, utque Sponsa « in assidua prece et alacri poenitentia » (26) Unico vacare possit, individuo in amore reliqua omnia excludente.

Hac de causa vetustior spiritalis traditio cum toto a mundo (27) digressu et a quavis apostolica opera sua sponte hoc vitae genus sociavit, quae silens fit radiatio amoris itemque gratia superabundans in palpitanti Ecclesiae-Sponsae corde. Monasterium, remoto in loco positum vel media in urbe, suam per peculiarem aedificii structuram, ad hoc spectat ut separationis, solitudinis silentisque spatium comparet, ubi liberius Deus conquiratur et non modo cum Eo et pro Eo, verum etiam de Eo solo vivatur.

Quocirca persona, ab omni nexu, animi concitatione vel exteriori interioreque mentis avocatione absoluta, suas facultates componat oportet easdemque ad Deum dirigat, ut Eius praesentiam in adorationis laudisque gaudio suscipiat.

Contemplatio beatitudo fit mundorum corde (cfr *Mt* 5, 8). Cor mundum speculum est limpidum interioris partis personae, purificatae videlicet et in amore sociatae, intra quam Deus ipse relucet et commoratur; (28) crystallus est lucidus, qui, Dei luce perfusus, Ipsius eundem splendorem emittit. (29)

Contemplationis sub lumine, quae est Dei amoris communio, cordis munditia summopere explicatur in virginitate spiritus, quia cordis integritatem secum fert, quod non modo est a peccato mundatum, sed in tensione ad Deum iunctum ideoque ex integro ac sine divisione amans, ad similitudinem amoris purissimi Sanctae Trinitatis, quae a Patribus « prima Virgo » est vocata. (30)

Claustralis locus desertus ad cordis puritatem sic intellectam consequendam magnam fert opem, propterea quod exterioris mundi consortium ad ea coërcet quae sunt necessaria, ne ille variis de causis in monasterium irruat pacis unitatisque cum Domino cumque sororibus deturbans statum. Hoc modo clausura magna ex parte dissipationem tollit quae compluribus ex congressionibus non necessariis oritur, ex imaginum multiplicitate a quibus saeculares cogitationes vanaque desideria manant, ex notiis animique affectionibus, quae ab unico necessario avertunt atque interiorem unitatem dissipant. « In monasterio omnia ad Dei vultum requirendum destinantur, omnia ad essentiam

rediguntur, quoniam illud tantum est magni ponderis quod ad Eum perducit. Monastica animi collectio intentio est ad Deum praesentem: si quis multis rebus diducitur, is cursum tardat ac metam praetermittit ». (31)

Dum se ab extraneis rebus ipsa revocat, dumque cor mentemque per certum cursum preceationis, abnegationis, vitae fraternae nec non exercitii virtutum theologialium purificat, vocatur monialis divino cum Sponso ad conversandum, die noctuque eius Verbum meditando, ut Sapientiae Verbi donum recipiat atque cum Eo, Spiritus Sancti inductu, unum fiat. (32)

Eiusmodi studium se in Deo complendi, corde perpetuo desiderante quod flagrante ardore ad Sponsum contemplandum convertitur, asceticum claustralis sororis alit munus. De Eius pulchritudine ipsa prorsus conscia, in claustro suam gratiae commorationem et antecaptam Domini visionis beatitudinem reperit. Divinae praesentiae flamma purgata, ad plenam beatitudinem se comparat in corde suo novum salvatorum cantum movens, in Monte sacrificii oblationisque, templi atque contemplationis Dei. Quapropter clausurae quoque disciplina, re, talis esse debet ut effici possit hoc eximium contemplationis exemplar, quod completam deditionem, integram intentionem, sensuum unitatem morisque convenientiam secum fert.

Monialium vitae prorsus contemplativae communionis Ecclesiaeque missionis participatio

In Ecclesiae communionem

6. Claustrales, earum singularem propter vocationem ad coniunctionem cum Deo in contemplatione, plene in ecclesiali communionem reperiuntur, spectabileque fiunt signum intimae cum Deo coniunctionis totius communitatis christianae. Per preceationem, potissimum vero per liturgicam celebrationem suamque cotidianam oblationem, eae pro universo Dei populo precantur atque Iesu Christo sociantur in gratiarum actionibus Patri agendis (cfr 2 Cor 1, 20; Eph 5, 19-20).

Per vitam ipsam contemplativam eae sua ipsarum ratione sunt Ecclesia, in ea communionem efficiunt, missionem pro Ecclesia universa adimplent. (33) A claustralibus contemplativis haud requiritur ut novas activae praesentiae fomas communicent, sed ut communionis trinitariae maneant apud fontem, in Ecclesiae corde commorando. (34)

Communitas porro claustralis optima est vitae fraternae schola, verae communionis manifestatio et vis alliciens ad communionem. (35)

Mutui amoris ope vita fraterna locus est theologalis in quo mystica Domini resuscitati praesentia percipitur: (36) communionis in spiritu, moniales eiusdem vocationis communicant gratiam cum suae communitatis sodalibus, mutuum ferentes auxilium, simul iter facientes simulque progredientes, concorditer et unanimiter, ad Dominum.

Cum eiusdem Ordinis monasteriis claustrales officium communicant adolescendi in fidelitate erga peculiare charisma spiritualeque patrimonium, communem agentes operam iis rationibus, si usus fert, quas Constitutiones significant.

Suae ipsarum vocationis vi, qua eae in Ecclesiae corde locantur, moniales peculiari modo obstringuntur se « sentire cum Ecclesia », sincera Magisterio adhaesione absolutaque oboedientia Summo Pontifici.

In Ecclesiae Missionem

7. « Ecclesia peregrinans natura sua missionaria est », (37) ideoque missio Institutis etiam vitae contemplativae essentialis est: (38) quam claustrales explent in corde missionario Ecclesiae commorantes, per preceationem continuatam, per sui oblationem sacrificiique laudis exhibitionem.

Sic earum vita fit arcanus fons apostolicae fecunditatis atque benedictionis communitati christianae totique mundo (39)

Caritas est, a Spiritu Sancto in cordibus diffusa (cfr Rom 5, 5), quae efficit moniales cooperatrices veritatis (cfr 3 Io 8), Redemptionis Christi participes (cfr Col 1, 24), atque dum vitaliter easdem cum ceteris Corporis Mystici membris coniungit, earum vitam feracem reddit, quae tota ordinatur ad caritatem consequendam pro omnium bono. (40)

S. Ioannes a Cruce scribit: « Reapse maioris pretii ante Dominum maiorisque pro Ecclesia fructus est puri amoris particula, quam cetera omnia simul sumpta ». (41) Stupescens et admirabiliter perspiciens, S. Teresia a Iesu Infante

fatetur: « Ecclesiam habere Cor intellexi idemque Cor amore flagrare. Intellexi Amorem solum Ecclesiae membra movere. ... Ita, in Ecclesia meum inveni locum ... in Ecclesiae corde, Matris meae, Amor equidem ero ». (42)

Illius sanctae Lexoviensis conscientia est Ecclesiae persuasio, quam continenter Magisterium exponit: « Ecclesia sibi penitus conscia est ac sine cunctatione ipsa irrefrenabiliter edicit intimum inesse conexum inter precationem ac Regni Dei diffusionem, inter precationem et cordium conversionem, inter precationem et frugiferam salvifici efferentis Evangelii nuntii acceptionem ». (43)

Quod moniales sorores evangelizationi, oecumenismo, Regno Dei in variis culturis proferendo, re conferunt, singulariter est spiritale quiddam, anima veluti est et fermentum inceptorum apostolicorum, dum activam operam iis demandat qui per vocationem ad illam destinantur. (44)

Atque quandoquidem qui omnino Domino mancipatur is in omnes fit Dei donum, ideo eorum vita « verum est donum quod in medio ecclesialis communionis mysterio locatur, dum eorum missionem apostolicam comitatur qui pro Evangelio nuntiando laborant ». (45)

Communitati christianae mundoque hodierno, qui plus quam umquam veris indiget spiritalibus bonis, claustrales, tamquam suae vitae contemplativae emissionem radiationemque, silentem nuntium ac mysterii Dei humilem testificationem ministrant, vivam hac ratione in sponsali Ecclesiae corde prophetiam servant. (46)

Earum existentia, ad divinae laudi omino gratuito prorsus serviendum oblata (cfr *Io* 12, 1-8), per se ipsam proclamat ac diffundit Dei principatum personaeque humanae transcendentiam, ad eius imaginem et similitudinem creatae. Universis « cordis igitur cellulam illam evocat clausura in qua ut cum Domino coniunctionem vivat quisque vocatur ». (47)

In praesentia et de praesentia Domini vivendo, moniales praecipue Ecclesiam eschatologicam antecapiunt, in possessione Deique contemplatione defixam, cunctam communitatem ecclesiam manifeste significantes, « actione ferventem et contemplationi vacantem », quae in temporis itinere progreditur atque futuram recapitulationem omnium rerum in Christo continenter prospectat. (48)

In Ecclesia locali monasterium

8. Monasterium est locus quem Deus custodit (cfr *Zach* 2, 9); Eius singularis praesentiae est mansio, ad Foederis tabernaculi imaginem, in quo cum Eo cotidiana fit congressio, ubi Deus ter Sanctus omne spatium tenet Isque agnoscitur et tamquam unicus Dominus honoratur.

Contemplativum monasterium pro Ecclesia etiam locali est donum, ad quam pertinet. Vultum eius orantem exhibens, suam in Ecclesia praesentiam pleniorem significantioremque reddit.(49) Monastica communitas conferri potest cum Moyse, qui orando pugnarum Israelis sortem decernit (cfr *Ex* 17, 11), et cum excubiis, quae noctu vigilant diluculum exspectantes (cfr *Is* 21, 6).

Monasterium interiorem partem Ecclesiae, cor videlicet, significat, in quo usque Spiritus ingemit ac pro universae communitatis necessitatibus orat atque ubi continenter gratiae pro vita quam cotidie Is elargitur persolvuntur (cfr *Col* 3, 17).

Magni interest ut sacerdotes ac fideles charisma peculiareque personarum contemplativarum partes agnoscere discant, earum demissam sed vitalem praesentiam, earum tacitam testificationem, quae ad precationem et ad veritatem de Dei existentia revocat.

Episcopi, sicut pastores totiusque Dei gregis perfectores, (50) charismatis contemplativi primi sunt custodes. Quapropter Communitatem contemplativam Verbi atque Eucharistiae pane alere debent, cum Communitate ipsa vigilandi responsalitate participantes, ut in nostri temporis societate, quae ad dispersionem, ad apparentia bona, ad silentii absentiam inclinatur, monasteriorum vita, Spiritu Sancto nutrita, vere integreque ad Dei contemplationem directa maneat.

Sub specie dumtaxat verae fundamentalisque missionis apostolicae iis propriae, cuius est « in Deo uno versari », monasteria, mensura rationeque spectata quae cum proprio spiritu ac propriae familiae religiosae traditione congruunt, quoque suscipere possunt homines qui ex eorum spiritali experientia aliquid haurire vel communitatis precationem participare cupiunt. Materialis tamen servetur segregatio ita ut sit indicium vitae contemplativae significationi atque eius necessitatum custodiae, ad huius Documenti de clausura normas. (51)

Animo libero ac propenso « in visceribus Christi », (52) dolores aerumnasque in cordibus gestant moniales illorum quotquot opem ab iis petunt et omnium hominum. Ecclesiae hodiernorum hominum vices penitus communicantes, ipsae spiritualiter sociatam operam in Christi Regno aedificando praestant, ut « sit Deus omnia in omnibus » (1 Cor 15, 28).

PARS II

MONIALIUM CLAUSURA

9. Iam perinde a principio vitae contemplativae destinata monasteria in clausura singulariter agnoverunt praestantissimum adiumentum ad propriam implendam vocationem. (53) Quocirca peculiare necessitates ipsius segregationis a mundo receptae ab Ecclesia sunt ac modo canonico ad vitae contemplativae ipsius commodum ordinatae. Donum idcirco constituit clausurae disciplina, quandoquidem charisma primae monasteriorum foundationis tuitur.

Fideliter suam formam separationis a mundo adservare oportet quodque contemplativum Institutum. Necessaria haec fidelitas est ad cuiusvis Instituti vitam, quod tamdiu revera existit quamdiu potissimis primigenii charismatis elementis adhaeret. (54) Vitalis hanc ob causam monasteriorum renovatio suapte natura coniungitur cum authentica ratione inquisitionis Dei in contemplatione atque instrumentorum ad eam consequendam, unde vera eadem habenda est renovatio quae antiquum eorum renovat splendorem.

Monacharum igitur claustralium et officium et munus et gaudium est firmiter sapienterque peculiarem suam intellegere custodire defendere vocationem, peculiaris charismatis proprietate tuta conservata a qualibet interiore exteriorive aggressionem.

Clausura papalis

10. « Monasteria monialium, quae integre ad vitam contemplativam ordinantur, clausuram papalem, iuxta normas scilicet ab Apostolica Sede datas, observare debent ». (55)

Quoniam donum perpetuum atque obstringens Deo factum convenientius Christi coniunctionem cum Ecclesia sponsa significat, papalis ideo clausura sua ipsa ex ratione strictioris segregationis declarat melius atque perficit integram monachae Christo Iesu deditioem. Signum illa est, protectio et peculiaris forma vitae omnino contemplativae, (56) quae vivitur ex toto illo dono quod non tantum totam voluntatem complectitur verum etiam rem ipsam, ita ut sit revera Iesus Dominus unicum desiderium et una beatitudo monachae quae iam exultat exspectans effulgetque vultus Eius contemplationem praeripiens.

Monialibus ergo significat papalis clausura proprietatem iam agnitam vitae plane contemplativae feminarum, quae intra monasticum institutum spiritualitatem nuptiarum cum Christo insigniter enucleans, indicium evadit et effectio coniunctionis illius unice qua Ecclesia sponsa suo cum Domino consociatur. (57)

Vera seiunctio a mundo, silentium ac solitudo, patefaciunt protegentque integritatem atque vitae proprie contemplativae proprietatem, ut suum peculiare fideliter servet charisma ac sanas etiam Instituti traditiones.

Saepe quidem necessitatem inculcavit Ecclesiae magisterium fideliter sustentandi hoc vitae genus quae gratiae ac sanctitatis fontem Ecclesiae praebet. (58)

11. Contemplativam prorsus vitam, ut pertinere ad papalem clausuram dici possit, ordinari solam ac totam oportet ad coniunctionem cum Deo in contemplatione assequenda.

Talis vitae omnino contemplativae aliquod existimatur esse Institutum si:

a) sodales eius suam omnem operam tum interiorem tum etiam exteriori ad intentam perpetuamque coniunctionis cum Deo inquisitionem dirigunt;

b) illud ipsum externa proximaque apostolatus opera excludit, etiam minoris magnitudinis, nec non physicam participationem eventorum ac ministeriorum ecclesialis communitatis, (59) quae propterea expeti non debet quia hoc modo contraria fieret inter moniales testificatio verae participationis ipsius vitae Ecclesiae earumque proprii muneris;

c) separationem a mundo perficit ratione solida et efficaci non tantum symbolica. (60) Quaevis formarum accommodatio separationis rebus ab exterioribus ita perfici debet ut « materialis separatio » (61) custodiatur atque Sanctae Sedis approbationi subici.

Clausura secundum Constitutiones

12. Monacharum claustralium monasteria quae vitam profitentur contemplativam verumtamen quaedam apostolatus caritativae incepta ad principale divini cultus officium adiungunt, papalem non obtinent clausuram.

Servant haec monasteria omni quidem cura suam praecipuam vel maxime contemplativam figuram, dum orationi se potissimum dedunt, asceticae disciplinae et fervidae spiritali progressioni tum diligenti liturgiae celebrationi atque regulari observantiae et disciplinae separationis a mundo. Hae domus suis in Constitutionibus idoneam indoli suae sanisque ex traditionibus clausuram constituunt. (62)

Ad iuris proprii regulam Antistita ingressiones et egressiones permittere potest.

Monialium antiquae traditionis monasticae monasteria

13. Monacharum coenobia venerabilis monasticae traditionis (63) quae variis vitae contemplativae formis se declarat, cum tota cultui divino inserviunt per secessus vitam intra monasterii moenia, adservant clausuram papalem; si quod opus in populi Dei beneficium cum contemplativa vita coniungunt vel ampliora hospitalitatis exsequuntur officia secundum Ordinis traditos mores, suam in Constitutionibus definiunt clausuram. (64)

Clausuram papalem habet quodque monasterium aut monastica Congregatio, vel eam ipsam in Constitutionibus describit, propria ipsius servata natura.

DE PAPALI MONIALIUM CLAUSURA NORMAE

Principia generalia

14. § 1. Monialibus vitae unice contemplativae designata clausura papalis nuncupatur, quandoquidem regulae eam moderantes a Sancta Sede approbentur oportet, etiam cum de legibus agitur in Constitutionibus aliisve eiusdem Instituti codicibus (Statutis, Directoriis, et similibus) statuendis. (65)

Varietate inspecta Institutorum quae vitae omnino contemplativae vacant eorumque traditionum, remittuntur ad ius particulare quidam modi separationis a mundo quos Apostolica Sedes approbet necesse est.

Regulas de clausura etiam strictiores decernere potest ius particulare.

Clausurae amplitudo

§ 2. Ad habitacula cunctaque spatia interiora et exteriora monialibus reservata papalis extenditur clausura.

Conditiones exterioris seiunctionis aedificii ipsius monastici et chori, exedriorum et omnium locorum monialibus destinatarum oportet sint corporales ac efficaces, non solummodo symbolicae neque ut dicuntur « neutra », in Constitutionibus additisque codicibus circumscribendae, ratione habita locorum nec non variarum in singulis Institutis ac monasteriis traditionum.

Communicatio fidelium liturgicis in ritibus non permittit monialium egressionem e clausura neque fidelium in monacharum chorum ingressione; hospites si qui sunt non licet introduci in monasterii clausuram.

Clausurae obligatio

§ 3. a) Vi legis ipsius super monialium clausura, degere debent novitiae ac postulantes intra monasterii claustrum neque iis excedere licet, nisi in casibus iure praevisis, nec cuiquam pariter intrare licet monasterii clausurae limites nisi ex causis in iure memoratis.

§ 3. *b)* De segregatione a mundo sororum externarum iure particulari statuuntur normae.

§ 3. *c)* Gravem secum conscientiae obligationem tum pro monialibus tum pro extrariis infert clausurae lex.

Egressiones et ingressiones

15. Ut introeundi atque exeundi concedatur facultas, iusta semper gravisque postulatur ratio, (66) quam nempe vera singularum monialium sive monasterii ipsius necessitas praebet: hoc idcirco requiritur ut protegantur condiciones postulatae ad vitam ex toto contemplativam utque moniales ipsae suae vocationi electae consentiant. Quapropter omnis egressus aut ingressus exceptionem secum importare debet.

Denotandi in libro ingressiones egressionesque consuetudo servari potest ad Capituli conventualis iudicium etiam ut utile aliquid ad vitam monasterii historiamque cognoscendam.

16. § 1. Ipsius Antistitae monasterii est clausuram ex propinquo custodire, in tuto condiciones collocare segregationis atque intra monasterii moenia amorem silentii provehere nec non recessus ac precationis.

Illa quidem iudicium de opportunis ex clausura egressionibus et ingressionibus pronuntiat, quarum prudenter aestimat necessitatem sub lumine vocationis omnino contemplativae ad huius documenti nec non Constitutionum regulas.

§ 2. Officio morali tenetur universa communitas ut tueatur et promoveat et sic papalem observet clausuram ut rationes secundariae vel subiectivae non anteferantur illi proposito quod separatio ipsa sibi vindicat.

17. § 1. Exceptis peculiaribus Sanctae Sedis indultis aut gravissimo proximoque periculo instante, ab Antistita conceditur egressus ex clausura communibus in casibus qui monacharum respiciunt valetudinem vel monialium decumbentium curationem vel etiam iurium civilium exercitationem et illas coenobii necessitates quibus aliter consuli non potest.

§ 2. Aliam ob aequam gravemque causam valet Antistita, adsentiente ipsius Consilio vel conventuali ipso Capitulo, secundum Constitutionum disciplinam, concedere egressionem necessarium ad tempus at non ultra hebdomadam. Si vero commoratio extra claustrum ulterius perduraverit ad tres usque temporis menses, veniam ab Episcopo dioecetano petet ea (67) vel a Superiore regulari si quidem est. Tres autem si menses absentia excesserit, nisi de curanda agitur salute, permissionem Sanctae Sedis poscere debet.

Haec praescripta adhibebit Antistita etiam ad egressionem concedendam ut quis adsistat, quotiens opus fuerit, formationis religiosae curriculis ab ipsis monasteriis inter se constitutis. (68)

Recordari decet normam canonis 665 § 1, de commoratione extra Institutum, clausurae moniales non tangere.

§ 3. Ut novitiae vel professae, cum necesse fuerit, (69) mittantur ad suam alio in Ordinis monasterio perficiendam efformationem, sicut et ad translationes temporales aut perpetuas (70) in alias Ordinis domos efficiendas, suam declarabit Antistita consentionem, Consilio intercedente vel ad Constitutionum normam conventuali Capitulo.

18. § 1. Integris peculiaribus Sanctae Sedis manentibus indultis, ingressus in clausuram permittitur:

– Cardinalibus qui secum deducere possunt comitatum; Nuntiis ac Delegatis Apostolicis in regionibus propriae auctoritati subditis; Visitatori canonicae visitationis tempore, dioecetano Episcopo vel Superiori regulari iusta de causa;

§ 2. Annuente Antistita:

– Sacerdotibus infirmarum Sacramenta dispensaturis, adiuturis eas quae diu graviterve aegrotant et, si opus fuerit, Missam Sanctam pro eis celebraturis. Si oportuerit, pro liturgicis processionibus et exsequiis;

– iis praeterea quorum opera vel munera necessaria sunt ad monialium procurandam valetudinem et monasterii procurandas necessitates.

– Propriis aspirantibus nec non monialibus in transitu, si hoc iure peculiari praestituitur.

Monacharum congressiones

19. Praeunte Sanctae Sedis licentia, illi monialium constitui possunt conventus eiusdem quidem contemplativi Instituti intra eiusdem nationis aut regionis fines, quos vera suadet necessitas communis disceptationis, dummodo eos libere celebrent moniales neque nimia contingant crebritate. Praestat tales agere conventiones ipsius in Ordinis aliquo monasterio.

Quae iam Foederationem inierunt monasteria, stata tempora nec non rationes celebrandi suas foederales Congressiones propriis decernunt in Statutis, conservatis tum spiritu tum etiam postulationibus vitae omni ex parte contemplativae.

Communicationis socialis instrumenta

20. Super communicationis socialis instrumentis, in omni illa quae hodie eorum praebetur varietate, regulae spectant ad meditationis custodiam: silentium enim contemplativum vacuefieri potest quotiens strepitu et vocibus et notitiis clausura redundat.

Quocirca adhibeantur hi apparatus necesse est moderate ac sapienter, (71) non tantum quod attinet ad doctrinas verum etiam ad copiam notitiarum et genus ipsum communicationis. Prae oculis etiam teneatur, quoniam silentio interiori iam assuetae sunt, haec omnia vehementius movent earum sensus atque affectus, difficilemque ideo meditationem reddunt.

Radiophonii autem ac televisionis usus concedi potest peculiaribus datis naturae religiosae opportunitatibus.

Usurpatio si quae erit aliorum communicationis instrumentorum recentium, qualia sunt: simularia, telephonia cellularia, interrete, permitti potest ipsi monasterio ex causa notitiarum percipiendarum operisve perficiendi in communem utilitatem, prudenti de iudicio nec non ad Conventualis capituli decreta.

Consentaneas cognitiones procurent moniales de Ecclesia ac mundo, non secundum notitiarum varietatem multiplicem, sed dum res essentielles sub Dei lumine colligunt quas deinde suam in precationem inserant cum Christi Iesu affectione consentientes.

De clausura vigilantia

21. Invigilent dioecesanus Episcopus ac Superior regularis clausurae custodiendae in monasteriis suae auctoritati commendatis eamque protegant, quantum iis quidem licet, Antistitam hac in re adiuvantes, cuius nempe est illam proxime custodire.

Non intercedunt plerumque Episcopus dioecesanus vel Superior regularis ut dispensationes a clausura concedantur, sed dumtaxat peculiaribus in casibus secundum hanc ipsam instructionem.

Progrediente canonica Visitatione comprobanda est ipsi Visitatori normarum observatio de clausura tum etiam de affectu separationis a mundo.

Quanti earum vocationem aestimat Ecclesia, tantum profecto monachas cohortatur ut claustrali vitae perstent fideles exsequentes cum propriorum officiorum conscientia tam spiritum quam disciplinam claustralem, ut intra communitatem fructuosa et integra instituat ad Dei Unius et Trini contemplationem directio.

PARS III

IN FIDELITATE PERSEVERANTIA

Institutio

22. Eo spectat sororum claustralium institutio ut persona ipsa ad plenam sui consecrationem Deo in Christi sequela factam preparatur, secundum vitae institutum ad contemplationem unice ordinatae, quae peculiaris earum in Ecclesia muneris est propria. (72)

Funditus afficere personam institutio debet, eam colligans in progrediente quodam conformationis itinere cum Iesu Christo atque in tota sui ipsius oblatione Patri facta. Ratio idcirco huius educationis suscipere et exprimere debet

naturam alicuius universalitatis⁽⁷³⁾ et ad sapientiam cordis erudire. ⁽⁷⁴⁾ Talem institutionem constat cessare numquam, utpote quae ad totius tendat personae transfigurationem.

Propria formationis postulata earum quae ad vitam vocantur omnino contemplativam in instructione *Potissimum institutioni* (pars IV, 72-85) prodita sunt.

Contemplativarum educatio pertinet in primis ad fidem, ubi « fundamenta et authenticae contemplationis primitiae sunt posita ». ⁽⁷⁵⁾ Per fidem enim discit aliquis perpetuam Dei praesentiam animadvertere ut in caritate mysterio Eius communionis adhaerescat.

Committitur vitae contemplativae renovatio maximam partem educationi singulas monachas totamque communitatem amplectenti ut ad implendum divinum consilium advenire valeant sui charismatis per appropriationem.

23. Huius rei causa permagnum sibi sumit pondus ratio institutionis ad proprium destinata charisma, quae apte distinctos complecti debet primos annos usque ad sollemnem aut perpetuam professionem tum reliquos sequentes, qui perseverantiam in fidelitate in tuto collocare debent in vitae perpetuitatem. Habeant idcirco in hunc finem claustrales communitates « rationem formationis » idoneam, ⁽⁷⁶⁾ quae proprii et particularis iuris partem efficiet postquam, praeunte deliberativo Capituli conventualis suffragio, Sanctae Sedi erit proposita.

Culturarum nostri temporis complexio Institutis contemplativae vitae iniungit ordinem praeparationis quae tum dignitati tum etiam huius status consecratae vitae necessitatibus aequatur. Quam ob rem poscere a candidatis debent monasteria, antequam in novitiatum admittantur, illum maturitatis personalis et affectivae, humanae et spiritualis modum, quo aptae eae reddantur ad intellegentiam ipsius naturae alicuius vitae ex toto ad contemplationem in clausura designatae nec non ad fidelitatem. Officia vitae claustralis propria oportet singulis a candidatis bene comprehendantur atque accipiantur iam primo educationis tempore, vel, utcumque est, ante sollemnia aut perpetua vota nuncupata. ⁽⁷⁷⁾

Verbi Dei, Patrum traditionis, Magisterii ac liturgiae spiritualitatis et theologiae documentorum investigatio iacere debet doctrinarum fundamenta in hac institutione simulque principia mysterii Dei cognitionis praestare in christiana Revelatione iam reposita, « omnem veritatem in mysterio Christi conditam sub lumine fidei perscrutando ». ⁽⁷⁸⁾

Ex Dei mysterio haurire continenter debet contemplativa vita; quapropter necesse est monialibus principia tradere viamque formationis tum singularis tum communitariae quae constantiam in se habent nec consequuntur fortuitas singularum experientias.

24. Universalis norma est ut totum primae ac permanentis institutionis curriculum intra monasterium ipsum absolvatur. Cum nulla sint exteriora opera ipsaeque sodales stabiles inveniantur, sinitur ut paulatim amplioreque participatione omnes diversos formationis gradus participent. Suo in coenobio crescit monacha in vitae spiritali maturescit et contemplationis consequitur gratiam. Institutio proprio in monasterio id prae se fert commodum, quod totius communitatis favet consensioni. Proprium praeterea suum ob ambitum vitaeque progressum, aptior locus est monasterium ad formationis perficiendum iter, ⁽⁷⁹⁾ quoniam cotidiana Eucharistiae alimonia ac liturgia sacra, *lectio divina* et Marialis pietas, ascetica disciplina et labor, caritatis fraternae exercitatio nec non solitudinis silentiique experimentum tempora constituunt et elementa vitae contemplativae ad efformationem necessaria.

Alicuius coenobii Antistita, tamquam prima institutionis moderatrix, ⁽⁸⁰⁾ consentaneum candidatarum primum praestituet institutionis cursum. Permanentem etiam monialium provehet eruditionem dum eas docebit se de Dei mysterio alere qui in liturgia sacra diversisque monasticae vitae eventibus se donat; congrua ad spiritalem et doctrinalem formationem praebebit instrumenta atque postremo continuum adiuvabit incrementum veluti necessitatem quandam fidelitatis erga novum semper vocationis divinae donum.

Cuiusque monasterii ius atque officium est educatio, quod adhibere potest etiam hominum exteriorum auxilium, illius praesertim Instituti cui fortasse consociatum est. Si casus fert, sinere Antistita poterit moniales illos explere studiorum cursus per litteras qui argumenta rationis institutionis illo in monasterio respiciunt.

Cum sibi ipsum sufficere non potest monasterium, quaedam docendi ministeria communia constitui poterunt in aliquo eiusdem Instituti coenobio atque ex more eiusdem locorum regionis. Eorum condicionis et longinquitatem et crebritatem stuent monasteria quorum interest, ita tamen ut praecipua vocationis contemplativae indoles in clausura nec non regulae propriae « rationis formationis » observentur. De clausura normae valent pariter ad egressiones propter huiusmodi formationem. ⁽⁸¹⁾

Curriculum institutionis frequentatio non potest in locum ordinatae progredientisque formationis substitui apud propriam communitatem.

Sui curriculi vitalis adventurique temporis artifex sit oportet revera omne monasterium; quapropter opus est ut ante omnia in educationis provincia sibi paulatim solum sufficere assuescat; illa enim non poterit ad aliquos tantummodo sodales dirigi, verum implicare universam debet communitatem, ut ardentis cuiusdam progressionis locus sit nec non auctus spiritalis.

Monasterii autonomia

25. Tribuit cuique « sui iuris » monasterio Ecclesia iustam quandam iuridicalem autonomiam, vitae et regiminis, ut per eam frui propria disciplina possit atque integrum suum simul conservare patrimonium. (82)

Vitae stabilitatem provehit haec autonomia internamque omnis communitatis unitatem, dum optimas ad contemplationem exercendam condiciones praestat.

Ius monasterii haec autonomia est, quod suapte natura sui iuris est; quapropter haud eam circumscribi licet exterioribus consiliis aut minui. Verumtamen non idem autonomia est atque liberatio ab ecclesiastica auctoritate; sed aequa est, congrua et opportuna ad indolis singularisque proprietatis tutelam in monasterio vitae omnino contemplativae.

Ordinarii ipsius loci officium est hanc servare tutarique autonomiam. (83)

Dioecesanus Episcopus in suae curae commendatis monasteriis (84) vel Superior regularis, si qui forte fuerit, suum exsequuntur munus secundum Ecclesiae leges atque Constitutiones. Illarum est ea omnia constituere quae Superioribus competunt, praesertim quod ad moderationem electionum attinet, visitationem canonicam atque bonorum administrationem.

Quandoquidem sui iuris sunt monasteria nec mutuo inter se dependent, quaelibet forma aut ratio participatae rerum ordinationis inter ea propter bonum commune, liberam postulat monasteriorum ipsorum consensionem nec non Apostolicae Sedis approbationem.

Necessitudo cum virorum Institutis

26. In Ecclesia progredientibus saeculis excitavit Spiritus Sanctus religiosas familias, ad quas diversi iam pertinent rami, vitali modo coniuncti in eadem spiritalitate verum inter se distincti saepiusque in vitae forma diversi.

Monacharum monasteria varias habuerunt vinculorum rationes cum respondentibus virorum Institutis quae multipliciter solidam formam receperunt.

Coniunctio inter monasteria ac proprium virorum Institutum potest quidem crescenti spiritalitati communi favere, salva claustrali disciplina. Hoc sub respectu consociatio monasteriorum cum Instituto virorum, iuridica cuiusque observata propria autonomia, eo spectat ut ipsis in monasteriis verus familiae religiosae custodiatur spiritus ut via quadam omnino contemplativa solidam induat figuram.

Coenobium alicui virorum Instituto adiunctum suam servat compagem propriamque administrationem. (85) Qua de causa iurium officiorumque mutuorum definitio, quae spiritale in bonum destinantur, veram monasterii autonomiam necesse est protegat.

In novo illo rerum prospectu ac visu quo hodie opus feminarum ac praesentiam contemplatur Ecclesia, superanda est, si qua fuerit, illa iuridicae protectionis forma a virorum Ordinibus ac Superioribus regularibus, quae monacharum monasteriorum autonomiam revera coarctare potest.

Peragant igitur viri Superiores munia sua ex adiutricis operae animo nec non humilis ministerii, omni illicita vitata erga eas subiectione, ut mente libera decernant moniales atque etiam ex conscientia suorum officiorum id quod religiosam illarum afficit vitam.

PARS IV

CONSOCIATIONES AC FOEDERATIONES

27. Instrumenta ad adiuvandum et res communiter inter monasteria ordinandas sunt Consociationes ipsae ac Foederationes unde suam in Ecclesia convenienter explere valeant vocationem. Praecipuum idcirco earum propositum est ut custodiantur promoveanturque vitae contemplativae bona iis in monasteriis quae ad eas pertinent. (86)

Haec instituta ibi praesertim sunt fovenda ubi aliae efficaces auxilii et operae communis non inveniuntur formae ac propterea forsitan communitates respondere non valent primariis varii generis necessitatibus.

Quae in hoc documento referuntur normae ad Foederationes pariter valent pro Consociationibus, ratione earum iuridicae structurae habita propriorumque Statutorum.

Unius est Sedis Apostolicae quamlibet formam constituere Consociationis, Foederationis vel Confoederationis monachorum coenobiorum, cuius etiam est approbare earum Statuta et vigilantiam de iis exercere auctoritatemque necessariam, (87) sicut et adiungere vel seiungere ab iis quaedam monasteria.

Ius est singularum communitatum decernere an pertineant ad illas vel minus, quarum observanda omnino est libertas.

28. Quoniam in monasterii utilitatem instituta est, debet iuridicam ipsius autonomiam vereri Foederatio; non autem ullam habet gubernandi auctoritatem, quocirca de rebus omnibus ad monasterium attinentibus nihil statuere potest; nullam vim habet alicuius legati eiusdem Ordinis.

Communione inter se fraternam vivunt foederata monasteria eo modo qui congruit claustrali eorum cum vocatione, non per congressionum multitudinem aut communium experientiarum, verum in mutuo adiumento ac celeri opera adiutrice, cum petitur adiumentum, et sic suas conferunt partes quatenus possunt atque eorum sinit autonomia.

Cum evangelici ministerii affectu studeant Foederationes veris et solidis communitatum necessitatibus respondere, earum deditionem ad Deum solum inquaerendum sustentando nec non regularem observantiam et dynamicam interioris unitatis progressionem.

Adiutoria quae ad communes solvendas difficultates Foederationes praebere valent, respiciunt in primis: consentaneam renovationem atque etiam monasteriorum renovatam ordinationem, tum primam tum permanentem monachorum institutionem, atque mutuum oeconomicum subsidium. (88)

Modi adiutricis huius operae inter monasteria et Foederationem exhibentur et decernuntur a congressu monasteriorum Antistitarum quae secundum iam approbata statuta definiunt illa officia quae Foederatio in beneficium atque monasteriorum adiutorium explere debet.

Destinare consuevit Apostolica Sedes religiosum Assistentem cui nonnullas facultates et munia delegare poterit, quatenus necesse esse censuerit peculiaribusve in casibus. Assistentis est opus: efficere ut intra ipsam Foederationem adservetur et augeatur verus spiritus vitae omnino contemplativae proprii Ordinis, fraterni ministerii cum animo adiuvare ipsius Foederationis gubernium ac oeconomicas maioris momenti difficultates levare, aliquid ad solidam novitiarum ac professorum formationem conferre.

Institutio

29. Auxilium formationis, quod potest Foederatio praebere, est subsidiarium. (89) Enucleent ideo foederata monasteria rationem institutionis quae solidas applicationis adfert normas (90) et quae partem aliquam constituet iuris peculiaris cuiusdam monasterii, postquam Apostolicae Sedis approbationi subiecta erit, praeunte conventualis Capituli eiusdem monasterii consensu.

Suum proprio iure Novitiatum habet quodque monasterium. Attamen Foederatio, omnem declinans centram gubernandi figuram, novitiatum instituere potest et alia institutionis ministeria pro coenobiis illis quae, candidatis vel magistris deficientibus, sibi non sufficiunt libereque uti illis auxiliis cupiunt; haec educationis adiumenta, quae « ratio formationis » circumscribit, oportet in monasterio subministrantur ipsius consuete Foederationis, (91) principalibus vitae contemplativae in clausura adservatis necessitatibus.

Contendere debent Foederationes ut communitates paulatim sibi solae sufficere possint, praesertim quod ad permanentem spectat formationem quippe quae secum importet spiritalem deditionem nec non studium quoddam perpetuum et non interruptum, sicque fovere alicuius affectionis mentisque contemplativae progressionem in monasteriis.

Renovatio et opitulatio monasteriis data

30. Valide possunt Foederationes adiuvere ut novus monasteriis addatur vigor, impulsione vocationum rursus excitata circum necessaria propriae spiritualitatis elementa intra prospectum plane contemplativum illius formae vitae et simul regularum atque Constitutionum fervida incitata observatione.

Officio tenentur alicuius Foederationis monasteria ut mutuo inter se subveniant etiam permutandis monialibus, cum reapse necesse fuerit, vitata omni instabilitate. (92)

Ad singulas pertinet communitates decernere de ipsa petitione et responsione secundum proprias facultates et opes.

Monasteria quae iam non possunt regularem vitam custodire aut quae in adiunctis gravioribus versantur, Praesidem eiusque Consilium appellare possunt ut remedium idoneum quaeratur.

Si quando communitas fuerit cui iam non condiciones humanae et morales sunt ut ratione libera autonoma et responsali agat, Praeses Episcopum dioecesanum certiore faciat ac Superiorem regularem, si qui erit, et Apostolicae Sedi subiciat casum. (93)

CONCLUSIO

31. Huius Instructionis propositum id est: rursus inculcare quanti Ecclesia vitam plane contemplativam monialium clausurae aestimet quantumque eius veram custodire cupiat indolem, « ne huic mundo divinae venustatis deficiat radius unde humanae existantiae collustratur via ». (94)

Claustales contemplativas moniales universas Beatissimi Patris Ioannis Pauli II benedicens suffulciat et inflammet vox: « Quemadmodum Apostoli in oratione congregati cum Maria ceterisque in Cenaculo feminis a Spiritu Sancto repleti sunt (cfr *Act* 1, 14), sic hodie credentium communitas confidit se vestram propter precationem experiri renovatam posse Pentecosten unde ad Tertii Millennii introitum efficacior reddatur evangelica testificatio. Sorores carissimae, fideli Virgini ac Domui Deo consecratae Mariae commendo vestras communitates vestrumque unamquamque. Impetret Domini Mater ut vestro ex omni monasterio iterum totum per orbem illius lucis radius enitatur quae mundum involvit, cum Verbum caro factum est et habitavit in nobis ». (95)

Documentum hoc Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die primo mensis Maii anno MCMXCIX approbavit Summus Pontifex forasque dari iussit.

E Civitate Vaticana, die decimo tertio mensis Maii, anno MCMXCIX, sollemnitate in Ascensione Domini.

Eduardus Card. Martínez Somalo
Praefectus

Petrus Georgius Silvanus Nesti
a secretis

INDEX RERUM

Introductio

Pars I – Clausurae monialium significatio ac pondus

In Filii mysterio qui dilectionis communionem vivit cum Patre

Ecclesiae in mysterio quae suam cum Christo Sponso propriam experitur coniunctionem

Clausura suo ex principio ascetico

Monialium vitae prorsus contemplativae communionis Ecclesiaeque missionis participatio

Pars II – Monialium clausura

Clausura papalis

Clausura secundum Constitutiones

Monialium antiquae traditionis monasticae monasteria

DE PAPALI MONIALIUM CLAUSURA NORMAE

Principia generalia

Egressiones et ingressiones

Monacharum congressiones

Communicationis socialis instrumenta

De clausura vigilantia

Pars III – In fidelitate perseverantia

Institutio

Monasterii autonomia

Necessitudo cum virorum Institutis

Pars IV – Consociationes ac Foederationes

Institutio

Renovatio et opitulatio monasteriis data

Conclusio

(1) Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis de vita consecrata eiusque missione in Ecclesia ac mundo *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 59.

(2) Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 8; Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 14; 32; *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 555; S. Thomas Aquinas, *Summa Theologiae*, III, 45, 4, ad 2: *Tota Trinitas apparuit, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus Sanctus in nube clara*. Cassianus, *Collatio* 10, 6; PL 49, 827: *Secessit tamen solus in montem orare, per hoc scilicet nos instruens suae secessionis exemplo, ut si interpellare nos quoque voluerimus Deum puro et integro cordis affectu, ab omni inquietudine et confusione turbarum similiter secedamus*; Guigo Prior, *Ad fratres de Monte Dei*, I, 1, PL 184, 310: *Vita solitaria ab ipso Domino familiarissime celebrata, ab eius discipulis ipso praesente concupita: cuius transfigurationis gloriam cum vidissent qui cum eo in monte sancto erant, continuo Petrus (...) concupivit dicens: « Domine, bonum est nos hic esse ».*

(3) Cfr Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 28; 112.

(4) Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 63.

- (5) Cfr Ioannes Paulus II, Litt. Encycl. *Redemptoris Mater* (25 Martii 1987), 43; *Sermo ad claustrales* (Laureti 10 Septembris 1995), 2: *Quid est aliud claustralis vita nisi assentio usque renovata, unde quis se ad Salvatorem suscipiendum ipse recludat? Vos in cotidiana erga divinam operam voluntate itemque in salutis mysteriorum assidua in contemplatione hanc assensionem profertis.*
- (6) Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 2; Congregatio pro Doctrina Fidei, Epistula ad totius Catholicae Ecclesiae episcopos de quibusdam rationibus christianae meditationis *Orationis formas* (15 Octobris 1989), 1; *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 2566-2567.
- (7) Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, 7; cfr Ioannes Paulus II, « Angelus », Dominica 17 Novembris 1996: *Qui inaestimabilis thesaurus pro Ecclesia societateque vitae contemplativae sunt societates!*
- (8) Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 46 a; Paulus VI, Litt. Ap. motu proprio datae *Ecclesiae sanctae* (6 Augusti 1966), II, 30-31; Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, *Vitae religiosae ratio contemplativa* (12 Augusti 1980), 24-29; Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Instr. *Potissimum institutioni* (2 Februarii 1990), IV, 72-85; Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 8; 59.
- (9) Cfr Paulus VI, Adhort. Ap. *Gaudete in Domino* (9 Maii 1975), VI: *Etenim, si Ecclesia, ex Spiritu Sancto renata, tamquam vera « mundi iuventus » potest existimari, quatenus erga naturam suam suumque munus servat fidelitatem.*
- (10) Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 46 a; *Codex Iuris Canonici*, can. 577; Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, Instructio de vita contemplativa et de monialium clausura *Venite seorsum* (15 Augusti 1969), I; Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 59; *Sermo ad claustrales* (Nairobi, 7 Maii 1980): *In vestra orationis vita Christi erga aeternum Patrem laus producitur. Totus eius in Patrem amor totaque eiusdem oboedientia Patris voluntati vestra in absoluta amoris consecratione figurantur. Eius pro Corpore, scilicet Ecclesia, gratuita immolatio exprimitur in vestra vitae oblatione, eius sacrificii in coniunctione.*
- (11) Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 46; Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 14.
- (12) Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 59.
- (13) Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, Instr. de vita contemplativa et de monialium clausura *Venite seorsum* (15 Augusti 1969), I.
- (14) Cfr Ioannes Paulus II, Litt. Ap. *Mulieris dignitatem* (15 Augusti 1988), 26: *In medio ipso iam versamur paschali mysterio quod funditus Dei sponsalem recludit amorem. Sponsus Christus est, quoniam « seipsum tradidit»: eius corpus est « datum », eiusque etiam sanguis « fusus » (cfr Lc 22, 19-20). Hoc namque pacto « in finem dilexit » (Io 13, 1). In Crucis sacrificio inclusum « sincerum donum » declarat omnino sensum sponsalem Dei amoris. Ecclesiae Sponsus est Christus uti servator mundi. Nostrae sacramentum est Eucharistia redemptionis. Sponsi sacramentum est Sponsaeque.*
- (15) Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 59; Epistula ad claustrales VII occurrente centenaria a S. Clarae Assisiensis ortu memoria (11 Augusti 1993): *Cuncta reapse Clarae vita eucharistica erat, quandoquidem suo ex claustro perennes ipsa « gratias » per precationem, laudem, supplicationem, intercessionem, fletum, oblationem sacrificiumque, agebat. Omnia in ea accipiebantur et Patri una cum « gratiis » infinitis Filii Unigeniti offerebantur. B. Elisabetha a Trinitate, Scripta, Ed. Postulazione Generale OCD, Roma 1988, p. 632: Scripta, Meditatio 10, 2: *Gloriae laus gratiarum actione semper occupatur. Singuli eius actus, motus, cogitationes ac studia, cum altius in amore eandem confirmant, tum sunt veluti resiliens vox illius cantus qui est Sanctus aeterni.**
- (16) Cfr S. Gregorius Magnus, *Homiliarum in Evangelia libri duo*, Homilia 28, 3; PL 76, 1283: *Tunc enim Deus Pater Deo Filio suo nuptias fecit, quando hunc Virginis humanae naturae coniunxit, quando Deum ante saecula fieri voluit hominem in fine saeculorum;* S. Antonius de Padua, *Sermones*, Dominica XX post Pent., I, 4: *Sapientia, Dei Filius, aedificavit sibi domum suae humanitatis in utero Beatae Virginis, quae domus fuit suffulta septem columnis, id est septiformis gratiae donis. Hoc idem est: fecit nuptias filio suo;* Ioannes Paulus II, Litt. Ap. *Dies Domini* (31 Maii 1998), 12: *Ille dici potest se sponsum coram sponsa exhibere (cfr Os 2, 16-24; Ier 2, 2; Is 58, 4-8)...; sponsalem percipiat oportet ardorem qui ab Vetere ad Novum Testamentum necessitudinem Dei significat proprium ad populum. Illud declarat, verbi causa, mirifica haec Osee pagina: « Et sponsabo te mihi in sempiternum; et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio et misericordia et miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide, et cognosces Dominum » (Os 2, 21-22).*
- (17) Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, 12: *Mirabile illud evocant connubium a Deo conditum et in futuro saeculo plene manifestandum quo Ecclesia unicum sponsum Christum habet;* Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 3; 34.
- (18) Cfr Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 59.
- (19) Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 19: *Dignitatis humanae eximia ratio in vocatione hominis ad communionem cum Deo consistit.*
- (20) Cfr Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (24 Martii 1996), 59; Conc. Oecum. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 2.
- (21) Cfr Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 34; Litt. Ap. *Mulieris dignitatem* (15 Augusti 1988), 20; Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, Instr. de vita contemplativa et de monialium clausura *Venite seorsum* (15 Augusti 1969), IV.
- (22) Cfr S. Ambrosius, *De institutione virginis*, 24: PL 16, 326-327.

- (23) Cfr Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 59.
- (24) Cfr S. Benedictus, *Regula*, 72, 12: *Christo omnino nihil praeponant*: CSEL 75, 5.163; S. Maximus Confessor, *Liber asceticus*, 43; PG 90, 953 B: *Nos ipsi ex toto corde Domino dedamus ut totum ipsum recipiamus*; Ioannes Paulus II, Epistula ad Moniales Descalceatas Beatae Virginis de Monte Carmelo, 31 Maii 1982: *Minime dubito quin hodierni temporis Carmelitides haud minus quam praeteriti, laetanter ad huius absoluti metam tendant, ut congruenter praecipuis postulatis occurratur, quae ex dilectione in Christum unum necnon ex deditioe Ecclesiae missioni sine condicione facta oriuntur*.
- (25) S. Gregorius Magnus, *Homiliae in Ezechielem*, liber II, homilia 8, 16: CCL, 142, 348: *Cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, omnipotenti Deo voverit, holocaustum est. ... Quod operatur qui praesens saeculum deserit*.
- (26) Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, 7.
- (27) Cfr S. Augustinus, *Sermo*, 339, 4; PL 38, 1481: *Nam ad istam securitatem ditissimam nemo me vinceret: nihil est melius, nihil dulcius, quam Divinum scrutari nullo strepente thesaurum; dulce est, bonum est; Guigus I, Vitae solitariae laus, Consuetudines*, 80, 11; PL 153, 757-758: *Per vos considerate, et probabitur suavitates psalmodiarum, studia lectionum, fervores orationum, subtilitates meditationum, excessus contemplationum, baptismata lacrymarum, nulla re magis quam solitudine posse iuvare*; S. Eucherius Lugdunensis, *Eremita laus*, Litt. ad Hilarium, 3; PL 50, 702-703: *Eremum ergo recte incircumscriptionem Dei nostri templum dixerim... Nec immerito ibi esse promptius creditur, ubi facilius invenitur*.
- (28) Cfr S. Basilius, *Liber de vera virginitatis integritate*, 49; PG 30, 765: *Serenam ergo decet esse virginis animam, ac velut ex quodam purissimo mentis fonte divinis cogitationibus stagnantem... neque ab externis, qui per aurem feruntur, sermonibus agitatam, neque ab incidentibus per visum imaginibus de tranquillo statu deiectam: ita ut velut in purissimo speculo et suam ipsius speciem et sponsi pulchritudinem perspicens, illius vero amore magis impleatur*.
- (29) Cfr S. Ioannes a Cruce, *Ascensus ad montem Carmelum*, 2, 5, 6.
- (30) S. Gregorius Nazianzenus, *Poemata*, I, 2, 1, v. 20; PG 37, 523.
- (31) Ioannes Paulus II, *Sermo ad claustrales* (Laureti, 10 Septembris 1995), 3.
- (32) Cfr S. Bonaventura, *In honorem S. Agnetis V. et M.*, Sermo 1; *Opera omnia*, IX, 504b: *Sed quando gustat, quam suavis est Dominus, retrahit se ab exterioribus occupationibus; tunc intrat in cor suum et disponit se... ad aeternos splendores; tunc fit decora et rapitur in aeternum splendorem. Si anima videret istud pulchrum pulcherrimum, omnes cordae de mundo non retraherent ipsam ab ipso*.
- (33) Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, *Vitae religiosae ratio contemplativa* (12 Augusti 1980), 26; Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Instr. *Congregavit nos in unum Christi amor* (2 Februarii 1994), 59: *Communitas contemplativae indolis (quam Christus in monte exhibet) in duplici communione versatur cum Deo et cum Eiusdem membris. Efficacissimam ipsa habet apostolicam intentionem, quae autem magna ex parte in mysterio abditur*; Ioannes Paulus II, *Sermo ad Clerum, Consecratos Claustralesque* (Clavarii, 18 Septembris 1998) 4: *Nunc quaedam verba ad vos converto, carissimae Claustrales, quae peculiare signum estis Ecclesiae-Sponsae coniunctionis propriae cum Domino, summopere dilecto. Vos imperiosa vi compellimini, quae vos ad Deum trahit, qui terminus est unicus omnium vestrorum sensuum omniumque actuum. Dei pulchritudinis contemplatio vestra hereditas facta est, vestrum vitae propositum, vester in Ecclesia existendi modus*.
- (34) Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 4: *Sic apparet universa Ecclesia sicuti « de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata »*; S. Cyprianus, *De oratione Dominica*, 23; PL 4, 536.
- (35) Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 46; Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Instr. *Congregavit nos in unum Christi amor* (2 Februarii 1994), 10: *Vita fraterna, in monasterio communiter acta, Ecclesiae in ministerio ut signum destinatur*.
- (36) Cfr Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 42.
- (37) Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes*, 2.
- (38) Cfr Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1995), 76; Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 23.
- (39) Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, 7; Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 8; 59.
- (40) Cfr *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 953: S. Clara Assisiensis, 3 *Epistula ad Agnetem Pragensem*, 8; *Scripta*, SC 325, 102: *Et, ut proprie ipsius apostoli verbis utar, ipsius Dei te iudico adiutricem et ineffabilis corporis eius cadentium membrorum sublevatricem (cfr 1 Cor 3, 9; Rom 16, 3)*.
- (41) *Canticum Spiritale*, 29, 2; Ioannes Paulus II, *Homilia in Basilica Petriana* (30 Novembris 1997): *Ex claustralibus potissimum quaero ut in ipso Missionis corde, suam per perseverantem precessionem adorationis contemplationisque mysterii Crucis et Resurrectionis se ponant*.
- (42) Ms B, 3vo.
- (43) Ioannes Paulus II, *Sermo ad claustrales* (Nairobi, 7 Maii 1980), 2; cfr Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes*, 40: *Instituta vitae contemplativae per suas orationes, paenitentiae opera et tribulationes, maximum momentum habent in conversione animarum, cum Deus sit qui rogatus mittit operarios in messem suam (cfr Mt 9, 38), animos non-christianorum ad audiendum Evangelium aperit (cfr Act 16, 14), et verbum salutis in eorum cordibus fecundat cfr 1 Cor 3, 7)*.

- (44) Cfr B. Iordanus de Saxonia, *Epistula IV ad B. Dianam Andalensem: Quod agis tu tua in quiete, id ago equidem iter de loco in locum faciens; haec omnia propter eius amorem facimus. Ille noster est finis unicus.*
- (45) Ioannes Paulus II, *Sermo ad claustrales* (Laureti 10 Septembris 1995), 4.
- (46) Cfr S. Irenaeus, *Adversus haereses*, 4, 20, 8ss.; PG 7, 1037: *Non enim solo sermone prophetabant prophetae, sed et visione, et conversatione, et actibus quos faciebant, secundum id quod suggererat Spiritus.*
- (47) Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata*, (25 Martii 1996), 59.
- (48) Cfr *ibid.*
- (49) Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes*, 18.
- (50) Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 45; Decr. de pastoralis episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 15c; *Codex Iuris Canonici*, can. 586, § 2.
- (51) Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus nec non Sacra Congregatio pro Episcopis, Notationes directivae *Mutuae relationes* (14 Maii 1978), 25; Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, *Ratio Contemplativa vitae religiosae* (12 Augusti 1980), 26.
- (52) Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 46b.
- (53) Cfr Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, Instr. de vita contemplativa et de monialium clausura *Venite seorsum* (15 Augusti 1969), VII.
- (54) Cfr Ioannes Paulus II, *Sermo ad plenariam sessionem Sacrae Congregationis pro Religiosis et Institutis saecularibus* (7 Martii 1980): *Reiectio clausurae illius rei imminutionem significat quae propria maxime est unius ex vitae religiosae formis per quam Ecclesia mundo excellentiam ostendit contemplationis prae actione, eorum quae aeterna sunt prae temporalibus.*
- (55) *Codex Iuris Canonici*, can. 667 § 3; cfr Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, Instr. de vita contemplativa et de monialium clausura *Venite seorsum* (15 Augusti 1969), *Normae*, 1.
- (56) Cfr Paulus VI, Litt. Ap. motu proprio datae *Ecclesiae Sanctae* (6 Augusti 1966), II, 30.
- (57) Cfr Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, Instr. de vita contemplativa et de monialium clausura *Venite seorsum* (15 Augusti 1969), IV.
- (58) Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Decretum de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, 7; Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 8; 59; *Sermo ad moniales* (Lexovii, 2 Iunii 1980), 4: *Vestram a mundo diligite segregationem quae biblico deserto plane comparari potest. Mirabiliter fit ut desertum hoc minime sit vacuum. Ibi enim loquitur Dominus vestra ad corda vosque suo salutis operi proxime coniungit*; Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, Instr. *La dimensione contemplativa della vita religiosa* (12 Augusti 1980), 29.
- (59) *Codex Iuris Canonici*, can. 674.
- (60) Cfr Ioannes Paulus II, *Sermo ad claustrales* (Bononiae, 28 Septembris 1997) 4: *Per suam a mundo separationem modo concreto et efficaci expressam annuntiat vita vestra Dei primatum, perpetuamque efficit admonitionem de praestantia contemplationis ante actionem rerumque aeternarum prae temporariis negotiis.*
- (61) Cfr Paulus VI, Litt. Ap. motu proprio datae *Ecclesiae Sanctae* (6 Augusti 1966), II, 31.
- (62) Cfr *Codex Iuris Canonici*, can. 667 § 3.
- (63) Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, 9; Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 6.
- (64) *Codex Iuris Canonici*, can. 667 § 3.
- (65) Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, 16; Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus, Instr. de vita contemplativa et de monialium clausura *Venite seorsum* (15 Augusti 1969), *Normae*, 1 et 9.
- (66) Cfr Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 59.
- (67) *Codex Iuris Canonici*, can. 667 § 4.
- (68) Cfr Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Instr. *Potissimum institutioni* (2 Februarii 1990), IV, 81; 82.
- (69) Cfr *ibid.*
- (70) Cum agitur de translatione definitiva monacharum professorum aut sollemnium, sequantur praescriptiones canonis 684 § 3.
- (71) Cfr *Codex Iuris Canonici*, can. 666: *In usu mediorum communicationis servetur necessaria discretio.*
- (72) Cfr Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 65.
- (73) Cfr *ibid.*
- (74) Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Decretum de institutione sacerdotali *Optatam totius*, 16, nota 32: S. Bonaventura, *Itinerarium mentis in Deum*, Prol. n. 4; *Opera omnia* V, 296a: *[Nemo] credat, quod sibi sufficiat lectio sine unctione, speculatio sine devotione, investigatio sine admiratione, circumscriptio sine exultatione, industria sine pietate, scientia sine caritate, intelligentia sine humilitate, studium absque divina gratia, speculum absque sapientia divinitus inspirata.*
- (75) Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Instr. *Potissimum institutioni* (2 Februarii 1990), 74.
- (76) Cfr Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 68; Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Instr. *Potissimum institutioni* (2 Februarii 1990), 85.

- (77) Cfr Ioannes Paulus II, *Allocutio in Audientia generali* (4 Ianuarii 1995) 8: *Ingrediuntur contemplativi statum alicuius oblationis personalis adeo sublimem ut vocatione peculiari indigeant quae prius comprobetur oportet quam admittantur aut perpetua nuncupent vota.*
- (78) Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 24; cfr Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 22: *Reapse nonnisi in mysterio Verbi incarnati mysterium hominis vere crescit. Adam enim, primus homo, erat figura futuri (cfr Rom 5, 14), scilicet Christi Domini. Christus, novissimus Adam, in ipsa revelatione mysterii Patris Eiusque amoris, hominem ipsi homini plene manifestat eique altissimam eius vocationem patefacit.*
- (79) Cfr Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Instr. *Potissimum institutioni* (2 Februarii 1990), 81; Ioannes Paulus II, *Sermo ad claustrales* (Bononiae, 28 Septembris 1997), 5: *Communitates vestrae claustrales suo cum proprio cursu precationis et fraternae caritatis exercitationum, ubi repletur solitudo suavi Domini ipsius praesentia atque silentium praeparat animam ad illius percipienda interiora monita, locus videlicet sunt ubi ad hanc amantem Verbi Patris cognitionem vos cotidie instituimini.*
- (80) Cfr *Codex Iuris Canonici*, can. 619; 641; 661.
- (81) Cfr Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Instr. *Potissimum institutioni* (2 Februarii 1990), 82.
- (82) Cfr *Codex Iuris Canonici*, can. 586 § 1.
- (83) Cfr *ibid.*, can. 586 § 2.
- (84) Cfr *ibid.*, can. 615.
- (85) Cfr *ibid.*, can. 614.
- (86) Cfr Pius XII, Const. Ap. *Sponsa Christi* (21 Novembris 1950), VII § 2, 2; Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 59.
- (87) Cfr Pius XII, Const. Ap. *Sponsa Christi* (21 Novembris 1950), VII § 3; § 4; § 6.
- (88) Cfr Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 59.
- (89) Cfr Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, Instr. *Potissimum institutioni* (2 Februarii 1990), 81-82.
- (90) Cfr *ibid.*, 85.
- (91) Cfr *ibid.*, 82.
- (92) Cfr Pius XII, Const. Ap. *Sponsa Christi* (21 Novembris 1950), VII § 8, 3.
- (93) Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, 21; *Codex Iuris Canonici*, can. 616 § 4.
- (94) Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 109.
- (95) Ioannes Paulus II, *Sermo ad claustrales* (Laureti, 10 Septembris 1995), 4.